Dzielski Alberti Jos: Conclusiones ex universa Philosophia Aristotelica.

...ielski Alb. Jos.

Conclusiones ex universa Philosophia Aristotelica.

✠

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

CONCLVSIONES

Ex

VNIVERSA PHILOSOPHIA ARISTOTELICA,

Ad mentem

Diui THOMÆ Doctoris Angelici

PRÆSIDENTE

M. BASILIO PLASZCZEWSKI,

Philosophiæ Doctore, Collega Maiore, Regio, & Cursus Vladislauiano Philosophici nec non linguæ Græcæ Professore.

Ad Ecclesiam S. ANNÆ Canonico

AB

ALBERTO IOSEPHO DZIELSKI,

Artium Liberalium & Philosophiæ

BACCALAVREO.

Ad Disputandum

In Alma Vniuersitate Cracouiensi

Publicè

PROPOSITÆ.

Anno Dñi MDCLXXXVI. *Die* 29. *Iunij*

CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustr. ac Rñdiss. Dñi Episc. Crac. Ducis Seueriæ, Necnon Schol. Nouoduorsc, Typogr.

In Gentilitium Stemma
Illustrisimæ Domûs WALEWSCIANÆ.



Vicinam Phœbo credas hanc esse COLVMNAM
Tangit sidereas vertice nempe plagas.
Cernitur in fulcris hæc Orbi innixa Polono
Hinc sibi perpetuum destinat alta decus.
De lapidum gemmis facta est, portatq; Coronam
Quæ clarè Lechico semper in Orbe micat.
Hanc LEO magnanimus bellaci protegit ense
Firmior vt maneat WALEWIANA DOMVS.

Illustris & Magnificæ Dominationis Tuæ
Obsequentißimus Filius
ALEXANDER WALEWSKI Pöéseos Alumnus.

ILLVSTRI & MAGNIFICO DOMINO,

D. IOANNI FRANCISCO DE WALEWICE, WALEWSKI.

Dapifero Palatinatûs Siradiensis.

DOMINO MECOENATI AMPLISSIMO.

Oppressa ingenti laborum pondere, & inter tot aduersariorum turbines posita Iagiellonici Peripathi sparta, vnde suo conuenientiùs prouideret robori, integritati, & perennitati non inuenit, nisi ad Tuam Gentilitiam confugeret COLVMNAM Illustris & Magnifice Domine *Mecœnas Amplissime. Nouerunt enim perbellè Stagiritici ædificij Pergama sibi non defuturum ex Tua fortissima Basi fulcimentum, quod & Serenissimo Reipublicæ Polonæ Cœlo fortissima supposuit brachia, & labenti Patriæ Atlantes indefessos subministrauit. Quoties infesta hostilium telorum, & grauissima incursionum pondera, iam iam ad interitus rudera lassatum Poloniæ Polum inclinârunt, toties fortissima* WALEWSCIANA COLVMNA *eò firmiùs stetit, quò magis magnanimus* LEO, *Martio munitus acinace, eandem veloci passu sustentare cucurrit. Plena sunt Historicorum monumenta, quomodo in Ecclesiarum Basilicis Basilica verè hæc* COLVMNA *Basim agens indefessam, zelosissimæ Religionis pulcherrimo eminebat fastigio: quomodo in Togato Senatûs Sarmatici Areopago, ne vis consilij expers mole rueret suâ, incredibili planè robore & decore Patriam fulciebat: quomodo dum horridus Bellonæ impetus, hinc Otthomannicæ Lunæ inuisos aspectus nefandumq; sanguinis diluuium, hinc Moschouitici Draconis furores, & grauissimam tot Regnis rabiem, hinc Finnorum impijssimum Leonem aduersus Polonos commoueret, stetit hæc* COLVMNA Illustrissimæ WALEWSCIANÆ FAMILIÆ *tanquam Marpesia cautes, Capitolijq; immobile Saxum; stetit ad illam Magnanimus* LEO *è vultu suo Maiestatem diffundens eò augustior, quò magis horridus, Otthomannicæq; oppositus Lunæ, vel solo aspectu impetus hostiles fugans. Quidni ergo pro tot admirandis in Rempub: meritis adhuc victrici lauru coronari non debeat? immò coronatus hic Vestræ Herculeus labor* COLVMNÆ, *impauidi generositas* LEONIS, *Martiiq; dexteritas acinacis, quot onera Reipub. Ecclesiæ, Patriæq; sustentârunt, tot Coronas Ciuicas, Senatorias, Martias, Nauales, sortiri merebantur. Apage hinc superbi Alcidæ Gaditana Columna, vna inter omnia Orbis miracula,* WALEWSCIANA COLVMNA *admiranda, sufficit contemplanti. Leguntur in illa perpetui Maiorum characteres, quos & doctior* WALEWSCIANÆ *Palladis Calamus, & fortissimus eiusdem Heroicæ Domûs ensis post sustentatos barbarorum impetus insculpsit.* PLVS VLTRA *hic immortalis virtus inscribit, & inuisa hostium barbaries semper experta est; vbi* COLVMNA *hæc felicissimè stetit, barbaris interdixit* NON PLVS VLTRA. *Infixa hæc Sarmaticis limitibus à tot sæculis, vt firmiùs Lechicus Orbis staret. Assurrexit postmodum propagata per tot Illustrissimas consanguineas Stirpes Illustrissimæ Domûs huius series, in Archipræsuleas Mitras, multiplices Episcopales Tiaras, præcelsas Senatorum Curules, Insignes Vexilliferorum & Ensiferorum Titulos, præstantissimas Heroicorum animorum Virtutes. Properauêre huc felici & secundo passu, magna olim in Lechico Orbe Nomina* Illustrissimi & Magnifici Domini NICOLAI, IACOBI, MARTINI, SIGISMVNDI, STEPHANI, IOANNES, ROSCISLAI, WALEWSCII, *Vexilliferi & Succamerarij Siradienses, Castellani Lancicienses, Viri insigni grauitate, graui Authoritate, fortunatâ dexteritate, eruditione & virtute conspicui, nescientes virtutum suarum terminum. Veneror hîc silentio* Illustrissimum Dominum ADAMVM WALEWSKI *Castellanum Olbiescensem, Parentem Tuum, iustissimum in Castris, Tribunalibus, Generalibus Regni Comitiis, publicis priuatisq; consiliis Areopagitam, insignem virtute & armis virum, fortem Patriæ Achillem. Quid dicam? vbi recentiores memoriæ occurrunt* Illustres & Magnifici Domini Nepotes Tui STANISLAI WALEWSCII *Vexilliferi Siradienses,* IOANNES, SIGISMVNDI, *Lechici Orbis splendores, grandi & generoso animo in-*

signes, qui unitam virtutem ita fecere fortißimam, vt nulla lubrici Martis acies fixos, ac optimè ad Gentilitiam COLVMNAM *firmatos dimouere poßit. Non commemoro hìc per omnes Maiorum gradus in Lechico Orbe Illustrißimam huius Familiæ Seriem, quæ cum longè sublimior sit ingenio meo, illam modesto potiùs veneror silentio. Satis Diuinâ benedictione abundas* Illustris & Magnifice Domine, *quando hæc* Illustrissima Familia *ex Te ipso maximum sumit incrementum; videt Lechicus Orbis* Perillustrem & Reuerendissimum Dominum *Filium Tuum* MARTINVM WALEWSKI, *Canonicum Gnesnensem, Præpositum Infulatum Lascensem, Virum secundùm Cor Dei, ardentißimum Orthodoxæ fidei Zelatorem, tot dignitatibus & præeminentijs ornatum, dignum Cælo Infulatum, fortißimum ad Ecclesiam Dei Leonem, gratißimum, quia primogenitum Deo à Te oblatum Sacrificium. Videt alterum Filium Tuum* Religiosissimum & Admodum Reuerendum Dominum PREMISLAVM WALEWSKI, *vel ideo Sacri Ordinis Cistercienfis Claræ Tumbæ Professum, quia virtute, pietate, eruditione, zelo Verbi Diuini clarum, firmam Ecclesiæ Columnam, qui vt eò meliùs & liberiùs æternæ gloriæ auspicaretur cursum, sponte seipsum intra sacra Religionis limina seruitio Diuino addixit. Habes & aliam Carißimam Sobolem, cuius Iuuentlés annos, ideò in Alma Vniuersitate nostra Palladi consecrâsti, vt ibi modò intra sacratos Pieridum Choros, Apollineum scandens Parnassum, Tullianæq; eloquentiæ gustans riuos, virtute, pietate, timore Dei, & sapientiâ imbueretur, paulò post inter arma & acies galeatos inter Milites Maiorum suorũ, & Tua sequendo vestigia magnanimitate pectoris, & generositate animi fortis, Bellonæ & Martis studiis decertatura, ex qua deinceps firmæ Ecclesiæ & Patriæ assurgant Columnæ. Exeste hinc commentitij Rhodi Solis Coloßi,* WALEWSCIANA COLVMNA, *& ad Solis iustitiæ aras erecta est, & tot Illustrißimarum Familiarum affinitatibus, Heroibus, Senatoribus, Ducibus vicina, nunquam moritura gloriæ immortale continet decus. Exeste resonantes Memnonis statuæ, mutæ hic estis, vbi tot virtutum, & Heroicorum operum, vniuersum per Orbem, omnium permulcet aures harmonia* COLVMNA WALEWSCIANA *tot annorum lustris stat firmißima, Ecclesiæ & Patriæ infractum addens fulcrum. Pretiosa profectò Gentilitia hæc* COLVMNA *è pretiosis contexta lapidibus, videre in illa est Smaragdos, & fulgentes vniones, Tuæ nempe* Illustris & Magnifice Domine *grauitatis & generositatis indices, videre Sardios lapides, iustitiæ gemmas: Iaspides, subditorum amorem: Adamantes bellicæ fortitudinis robur: videre Carbunculos, Alectorias, Sapphiros, Topazios, Chrysolytos, quæ omnia vigilantißimum Te Herculem, fulcientem Patriam Scipionem, constantißimum pro augmento Sacrarum Ædium Constantinum, zelosißimum honoris Dei Promotorem denotant. Non hic ego Tua encomia, non illustrem tot immortalibus factis vitam, breui compendio concludere valeo; non merita in Patriam, in dies in omnium oculis crescentia, quæ nulla vnquam delebit temporum obliuio, hebetatus calamus meus conscribere potest. Loquatur non modò Domus DEI, miraculis plena Sacraria, quibus Tu firmum extitisti fulcrum. Loquatur non modò Siradiensis, sed vniuersus Lechicus Orbis, qui Te grauißimum in Consilijs dandis Catonem, magnanimum Lechici Orbis Themistoclem, immobilem animo Heròëm, validißimam Ecclesiæ & Patriæ* COLVMNAM *deprædicat. Validior igitur vt mihi in Stagyrea Academiæ nostræ Athletica fortitudo contingat, meritò ad Tuam* Illustris & Magnifice Domine *biennali Cursûs Philosophici passu accurro* COLVMNAM *Triumphum mihi nunquam ominari non possum, cum ibi ad coronatam metam tot triumphantium Heròûm Philosophicum sisto gradum, vbi Triumphalis* COLVMNÆ *Tuæ Atlas Lechico se præsentat Orbi: nec Tu ab ea me remouebis, qui ad Tuam Gentilitiam* COLVMNAM *currentibus aureus vbiq; & cuiq; vir es. Prodeat ergo felici omine sub nomine Tuo* Illustris & Magnifice Domine *ex Academi vmbris, in apricum Tui Atlantis Gentilitij Stagirites noster, non vmbrosus, sed serenus à decore* COLVMNÆ TVÆ, *quæ verè* FVLCIT & ORNAT, *& à magnanimitate* LEONIS TVI *euasurus. Stet ad omnem immortalitatem tot Illustribus gestis Clara, & Triumphalis perennaturæ gloriæ* WALEWSCIANA COLVMNA, *omnes aduersitatum procellas & tempestates contemnens: & quot hic literata vota tenuioris ingenij scripsit Minerua, tot Tibi* Illustris & Magnifice Domine *in illa Diuinarum gratiarum, victoriarum, virtutum, & felicißimorum successuum exsculpantur icones. Ita voueo & precor.*

Illustris & Magnificæ Dominationis Tuæ

Seruus humillimus

ALBERTVS IOSEPHVS DZIELSKI,
AA. LL. & Philosophiæ Baccalaureus.

In Nomine Domini, Amen.

CONCLVSIONES

Ex Vniuersa Philosophia Aristotelica, ad mentem D. THOMÆ Doctoris Angelici.

Ex Scientia Rationali.

I.

LOgica Artificialis, ad alias Scientias, in esse perfectò acquirendas, necessaria est, necessitate suppositionis: diuiditurq; in Docentem, quæ est verè & propriè scientia speculatiua; & vtentem, quæ per quandam similitudinem est ars: vtriusq; est vnus idemq; realiter habitus.

II.

FOrmale & adæquatum Logicæ Obiectum est Ens Rationis positiuum, vt consequitur operationem intellectûs: operationes verò intellectûs quatenus dirigibiles, sunt tantùm materia, cui Logica applicat formam definiendi, diuidendi & argumentandi.

III.

ENs Rationis Logicum datur de facto, per operationem intellectus humani; habens esse solùm obiectiuè in intellectu, quod licet Diuinus & Angelicus intellectus cognoscat, non facit tamen.

IV.

NAtura Vniuersalis licet non distinguatur à suis inferioribus, distinctione ex natura rei, ante operationem intellectûs; distinguitur tamen ab ijsdem ratione ratiocinatâ: ad cuius rationem non requiritur vlla aptitudo positiua ad essendum in multis. Fit verò Vniuersale Logicum per simplicem comparationem intellectûs; atq; diuiditur in Genus, Speciem, Differentiam, Proprium & Accidens.

V.

QVando Genus definitur prædicari de differentibus Specie in quid; tum temporis definitur secunda intentio generis in concreto, & non natura realis secundùm suam entitatem. Requirit verò genus Logicum ad sui conseruationem plures Species.

VI.

SPecies prædicatur de numero differentibus in quid; cuius diuisio in prædicabilem & subijcibilem, non est in diuersas res, sed in diuersos modos, quibus habet diuersos respectus eius ad superiora & inferiora. Hæc potest conseruari in vnico indiuiduo, etiam iuxta illam naturam, quæ secundùm se habet vnicum indiuiduum tam actu quàm potentiâ, qualis est natura cuiuslibet Angeli.

VII.

DIfferentia prædicatur de multis in quale essentiale; diuiditurq; in communem, propriam, & maximè propriam, respiciens plura inferiora Speciei, quam constituit.

VIII.

PRoprium est prædicabile secundùm quartam sui acceptionem per ordinem ad indiuidua suæ Speciei, & prædicatur de pluribus accidentaliter & necessariò; nulloq; modo diuelli potest à suo subiecto cui inest ad permanentiam mutuam.

IX.

ACcidens est Vniuersale respectu subiectorum, quibus contingenter adest & abest, absq; vlla illorum corruptione.

X.

PRædicamentum substantiæ est ens per se completum; diuiditur autem substantia in primam, quæ neq; est in subiecto, neq; dicitur de illo; & in secundam, quæ licet non sit in subiecto, dicitur tamen de illo; quarum prima est magis substantia quàm secunda; accidentibus prior, omnia entia per se, finita, & completa comprehendens, præter Deum.

XI.

CVm Quantitas Prædicamentalis sit Accidens extensiuum substantiæ, ideo essentia illius consistit in extensione partium in ordine

dine ad totum: diuiditur autem in Continuam & Discretam. Qualitas verò in quatuor Species.

XII.

RElatio est ens reale per se ad aliud: Specificatur tam à fundamento quàm à termino: terminatur verò ad relatiuum; vbi licet multiplicentur termini eiusdem Speciei, non tamen relationes. Sex vltima prædicamenta sunt formæ accidentales intrinsecæ ex aliqua adiacentia rei extrinseca.

XIII.

QVemadmodum Propositio simpliciter nequè est determinatè vera, nequè determinatè falsa; ita & propositiones de futuris contingentibus ante determinationem causæ primæ, nequè sunt determinatè veræ neque falsæ, nisi contingenter.

XIV.

DEmonstratio rectè diuiditur in Propter Quid, & Propter Quia; per quarum priorem generatur perfecta scientia, imperfecta verò per posteriorem.

XV.

DE essentia Scientiæ perfectæ est certitudo & veritas, tanquam passio consequens essentiam illius: cum qua in eodem intellectu de eodem obiecto opinio & fides stare non possunt.

Ex Scientia Naturali.

I.

SCientia Naturalis Speculatiua pro Obiecto formali adæquato considerat ens mobile radicaliter sumptum: abstrahendo ab omni materia sensibili, particulari, non tamen communi.

II.

COmpositi substantialis principia generationis sunt materia, forma & priuatio: compositionis verò materia & forma.

III.

MAteria prima est pura potentia, omnem excludens actum: existens ratione formæ: ad quam innatum dicit appetitum.

IV.

OMnes formæ substantiales, præter formam hominis, educuntur de potentia materiæ; accidentales verò comproducuntur cum suis subiectis; quibus sunt connaturales: quæ plures sicut naturaliter non possunt informare vnam numero materiam; ita vna plures materias, etiam Diuinitus.

V.

PRiuatio formaliter habetur per non esse formæ, estque principium rerum naturalium in fieri, realiter distinctum à forma generanda quâ priuat.

VI.

TOtum compositum substantiale constituitur ex materia & forma, à quibus solâ ratione distinguitur: quarum vnio, non est entitas realis, sed tantùm formalitas connotatiua.

VII.

CAusa prima immediatè concurrit ad producendum effectum cum causa secunda: qui vnus effectus licet supernaturaliter produci posſit à pluribus causis totalibus; naturaliter tamen non item.

VIII.

DEVS licet posſit perfectiorem creaturam producere aliâ creaturâ in infinitum; tamen infinitum dari absolutè loquendo est imposſibile. Continuum verò non est compositum ex solis indiuisibilibus.

IX.

PLura corpora in vno loco esse non possunt naturaliter, nec vnum corpus in pluribus locis circumscriptiuè.

X.

MVndus factus est in tempore, neque tamen implicabat eum fuisse ab æterno. Cæli constant materiâ & formâ, quanquam materia illorum diuersa à sublunari.

XI.

XI.

SVbiectum generationis substantialis est sola materia prima, ad quam in corruptione substantiali fit resolutio: quam non intendit per se natura particularis.

XII.

MEteororum causa materialis remota est terra & aqua: proxima autem vapor & exhalatio: efficiens, astra cum suis motibus: finalis, fertilitas, purgatio aëris, & ipsemet DEVS; vt ex his quæ fiunt & facta sunt bonitas illius infinita appareat.

XIII.

ANima vna tantùm est in vno quoquè viuente indiuisibilis: quinq; potentias realiter à se distinctas continens.

XIV.

INtellectûs humani voluntate simpliciter nobilioris Obiectum adæquatum est verum in tota sua latitudine: atquè agens, & possibilis realiter inter se distinguuntur.

XV.

VOluntas humana, intellectu secundùm quid est perfectior, considerans primariò bonum, secundariò verò malum, est libera in suis actibus.

Ex Scientia Transnaturali.

I.

MEtaphysica Scientia, purè speculatiua, atquè simpliciter & propriè dicta sapientia; habet pro adæquato Obiecto Ens vt Ens.

II.

ENtis vt Entis attributa sunt vnum verum, bonum; sola ratione ab Ente distincta.

III.

ESsentia & existentia distinguuntur inter se realiter tanquam res à re: quam existentiam habent etiam accidentia distinctam realitèr ab existentia substantiæ.

IV.

NAturali ratione non quidem à priori, sed à posteriori demonstrari potest DEVM esse vnum, infinitum, simplicissimum, immensum, vbique præsentem, atque omnium entium Vniuersalissimum, ac principalissimum Ens. Cui ab omni ente creato honor & gloria tribuatur in æternùm.



Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Perillustris, & Adm. Reuerendi Domini.

D. M. SAMVELIS

FORMANKOWIC

I. V. DOCTORIS & PROFESSORIS,
Prothonotarij Apostolici Collegiatæ SS. Omnium Crac: Custodis, Curati Premykouiensis, Contubernij Iagelloniani
PROVISORIS,
Studij Vniuersit: Crac: Generalis
RECTORIS.